

Suæ auctoritate committit, et in virtute S. Obedientiæ præcipit præfatis superioribus, ad quos pertinet, ut in supradictis conventibus non collocent, nisi religiosos graves, devotos, exemplares, regularis observantiæ, et puritatis regulæ studiosos, orationi præsertim, ac mortificationi, sine quibus non potest religiosa vita consistere, addictos, quique consentiant exacte servare vitam communem, atque inde amoveant eos omnes, qui tam sanctæ obligationi contradicere, seu verbis, aut factis quoquomodo sese opponere audeant.

§ 4. « Ut autem tam laudabilis vitæ institutum, et regulari professioni maxime proprium religiosi alacrius arripiant, omnisque excusatio infirmioribus præcludatur, eadem sacr. congreg. similiter præcipit superioribus antedictis, ut memoratis conventibus (implorata etiam, ubi opus fuerit, apostolica auctoritate) præfici omnino curent viros, non solum disciplinæ zelo, sed etiam charitate, et morum suavitate præditos, compatiens, fraternitatis amatores, misericordes, quorum regimini libenter alii se submittant.

§ 5. « Studeant vero præcipue, ut ea omnia, quæ tam ad victum et vestitum, quam ad reliquas vitæ necessitates pertinent, singulis religiosi prompte subministrentur, ac præsertim ægritudinis tempore nihil alicui desit, quod ad sanitatem recuperandam pertineat.

§ 6. « Ac propterea religiosos in iisdem conventibus morari non patientur ultra eum numerum, qui ex illorum redditibus et consuetis, vel etiam singulorum elemosynis, aliisque quibuscunque obventionibus pariter in commune conferendis, valeat commode sustentari. Eos vero, qui semel præfata observantiæ, et exactæ vitæ communi libenter, ut vere religiosos viros deceat, sese subjecerint, et in ea laudabiliter perseverent, nullatenus a memoratis conventibus nolentes transferant, nisi forte ad alia monasteria, ubi similis observantia vigeat, iisque pariter de omnibus ad vitam necessariis possit commode provideri.

§ 7. « Quod si reddituum, et elemosynarum tenuitas hujusmodi exactæ vitæ communis observantiæ alicubi videatur obsistere, liceat eisdem superioribus, vel per annuam contributionem aliorum conventuum huic necessitati prospicere, vel ab Apostolica Sede per suppressionem alicujus conventus minus utilis perpetuam, vel ad tempus, vel alia demum ratione, quæ opportunior visa fuerit, remedium postulare.

§ 8. « Sciant vero superiores prædicti eos, qui præfata omnia sedulo, ut par est, adimplere curaverint, specialem a Sanctitate Sua, et Sede apostolica in tuto gratiam, et protectionem, atque in iis, præcipue, quæ ad antedictam observantiam stabilendam pertinent, favorem omnem, et auxilium experturos; qui vero e contra negligentes, aut, quod absit! contumaces reperti fuerint, gravibus penis pro culpæ modo, et etiam privationis officiorum, ac perpetuæ

inhabilitatis ad ea, aut alia in posterum obtinenda puniendos fore; præfata autem observantiæ nihilominus stabilendæ per alios superiores, vel per commissarios apostolicos, ubi opus fuerit etiam extra religionem assumendos a Sancta Sede efficaciter providendum, omnemque interim, ubi eadem observantia non vigeat, recipiendi novitios licentiam denegandam.

§ 9. « Porro ne regularis disciplina, dum in conventibus jam erectis statuatur, relaxetur in erigendis, et quod una ex parte construitur, simul ex altera destruat, sacr. congreg. Sanctitate Sua similiter approbante, statuit atque decernit, nulla in posterum monasteria, collegia, domos, conventus, aut alia religiosorum virorum loca fundari, erigi, quovis modo institui debere, nisi sub expressa obligatione exactæ vitæ communis ab omnibus religiosi ibi commorantibus perpetuo, et inviolate servandæ, ac propterea nullas deinceps admittendas hujusmodi fundationes, nisi, præter ad id requisita, prius legitime constiterit adesse annuos redditus, vel certam elemosynarum spem, quibus duodecim saltem religiosi in exacta vita communi commode valeant sustentari.

§ 10. « Non obstantibus circa præmissa omnia, et singula ordinationibus apostolicis, necnon quorumcunque ordinum statutis consuetudinibus, privilegiis, cæterisque contrariis quibuscunque.

§ 11. « Ad extremum eadem sacr. congregat. regulares omnes cujuscunque ordinis, et instituti sint, Sanctitatis Suæ verbis serio admonet, et in Domino obtestatur, ut omni mora postposita, sicuti filios obedientiæ deceat, ad regulam, quam amplexi sunt, præscriptam vitam instituunt, et componant, decretisque apostolicis pro æterna illorum salute editis, sincere ac fideliter pareant, nec ab eorum observantia inanibus interpretationibus, et fallaciis, aut relaxationum prætextibus, ad excusandas excusationes in peccatis abduci se sinant, sed professionis suæ memores, qua se totos Dei obsequio manciparunt, susceptum Christianæ perfectionis iter, arduum quidem, sed divinæ charitatis dulcedine aspersum, abjectis terrenarum rerum curis, alacriter prosequantur: Nimis enim turpe esset, eos ad sæcularia desideria, quibus semel, aspirante Domino, renuntiarunt, animum revocare, et obligatam Deo, qui non irridetur, primam fidem irritam facere. Meminerint se ad peculiarem Salvatoris nostri sequelam vocatos, qui, cum dives esset, propter nos egenus factus est, veterumque illorum fidelium gloriosos imitatores, ac veluti heredes esse, quorum erat cor unum, et anima una, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid, suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, dividebantur autem singulis, prout cuique opus erat; ideoque in regularis vitæ, præcipue sanctæ paupertatis, quæ est parens quædam, generatioque virtutum, proposito perseverent, omnem sollicitudinem suam projicientes in eum, cujus oculi in pauperes respiciunt, qui non derelinquit sperantes in

se, sed dives in misericordia centuplum, et vitam æternam propter nomen suum relinquentibus omnia repromisit. »

« Dat. Romæ die 18 Julii 1695.

« Loco ✕ sigilli.

« G. CARD. CARPINEUS.

« Carolus Augustinus Fabronus sac. cong. secret. »

(12. Unde ad valorem professionis requiritur, quod tam novitiatum, quam professio fiat in solis dictis conventibus designatis. Vide verb. REGULARIS PROFESSIO, n. 19.

(13. Hinc regulares nequeunt amplius novos conventus erigere, seu fundare, nisi prius cor. sacr. congregatione Disciplinæ regularis justificaverint reddituum, aut elemosynarum sufficientiam pro observanda exacta vita communi, ut expresse statuit, ac renovavit ead. sac. cong. Disciplinæ regularis, prout sequitur.

Procuratoribus generalibus ordinum regularium renovatur prohibitio alias injuncta non procedendi ad fundationem novorum conventuum, et monasteriorum intra Italiam, et insulas adjacentes, nisi prius conventus, et monasterii fundandi reddituum sufficientiam, et subsistentiam cor. sacr. congr. justificata fuerit.

« La sacra congregazione sopra la disciplina regolare destinata dalla santa mem. d'Innoc. XII a stabilire specialmente l'osservanza della vita comune, ed a riconoscere la sufficienza, e sussistenza delle entrate per essa necessarie nelle fondazioni, che avessero avuto a farsi di nuovo di monasterj, e conventi dentro l'Italia, ed isole adjacenti, vedendo che non viene in questa parte tanto essenzialmente in verum conto adempita la mente di sì zelante Pontefice, non ostanti le pene di privazione di voce attiva, e passiva, sospensione dalle cariche, e dignità, perpetua inhabilità ad esse a superiori pro tempore, a quali appartiene simile incombenza, è venuta in determinazione di ridurre a memoria di tutti i superiori regolari l'obbligo preciso, che loro ne corre, avvertendo di non tentare in avvenire fondazione alcuna, senza giustificare, come sopra, la sufficienza, e sussistenza dell'entrate avanti la stessa sacra congregazione, sotto le pene enunciate, ed altre ad arbitrio della medesima.

« Monsignor de Vico segretario, che ne avanza la notizia al P. procuratore generale ec. per la dovuta esecuzione in ciò, che concerne l'interesse della sua religione, starà attendendo il riscontro in scriptis della ricevuta del presente viglietto, unitamente colla nota dell'ultima fondazione, specificando il giorno, mese, ed anno, in che seguì, e di cuore lo riverisce.

« Di Casa questo dì 23 Febbrajo 1717. »

(14. Etiam in monasteriis monialium, in quibus non observatur vita communis, non debent recipi puellæ neque ad habitum, neque ad educationem, licet haberent licentiam sacræ congregat. quæ non deroget in specie decreto generali sacra congregat.

Episcop. in Placentina 4 Septembr. 1503; in Pisana 6 Octobris ejusdem anni; in Vercellen. 18 Maii 1616; in Messana 15 Novemb. ejusdem anni; in Caputaquen. 2 Junii 1627; apud Nicol., in Floscul., verb. Vita communis, n. 5.

(15. Hinc sacra congregat. Episcop. et Regul. in Neapolitana 26 Maii 1602, statuit quod monasteriis renuentibus reformationem acceptare non concedatur licentia recipiendi puellas ad habitum. (16. Item nec admittendi ad professionem eas, quæ se ad illam nolunt obligare. Ead. sac. congreg. Episc. et Regul. in Neapolitana 8 Aprilis 1605.

(17. In iis monasteriis, quæ partim illam reformationem recipiunt, et partim non, recipi non debent nisi illæ quæ se volunt reformationi subicere. Ead. sac. congregat. Episcop. 17 Aprilis 1602. (18. Nec reformatio est credenda statim, sed probanda diu antequam detur licentia vestiendi. Eadem sac. congreg. Episcop. in Capuana 17 Novembris 1602, et 4 Maii 1604, et consimiliter sæpe sæpius alibi. (19. Quæ tamen professionem emisissent, antequam introduceretur reformatio, hortari debent ad illam acceptandam, sed non cogi. Ead. sac. cong. Episcop. et Regul. in Neapolitana 5 Martii 1602; apud Nicol., in Floscul. verb. Reformatio, n. 10. Vide ad rem verb. MONIALES art. 2, a n. 67 ad 70 inclusive, et verb. PROFESSIO, n. 84.

(20. Vita communis introduci debet in omnibus, et non in victu solum. Sacra congreg. Episcop. et Regul., in Panormitana 5 Novembris 1603. (21. Unde non solum dotes, et canones, et elemosynæ cujuscunque particularis monialis, sed etiam opera, et omnia acquisita poni debent in communi. Eadem sac. cong. Episcop. et Regul. in Parmen. 11 Augusti 1628.

(22. Non debet permitti repartimentum tritici, olei, et pecuniæ inter moniales, uti vitæ communi de directo repugnans. Eadem sacra cong. Episc. et Regul. in Brundisina 21 Octobr. 1616. (23. Et multo minus consiguari monialibus particularibus fructus prædiorum. Ead. sac. congreg. Episcoporum et Regul. in Licien. 1 Septembr. 1651.

(24. Imo neque debet permitti moniali, aut regulari vitalitium, seu livellum, vel legatum ipsi relictum, seu constitutum sub conditione, ut nihil acquiratur monasterio, sed totum cedat, et erogetur pro suis indigentibus, seu aliis usibus piis sibi benevisis, apposita pœna caducitatis in casu conventionis: Sic Bartolus in leg. Lucius Titius, § Tres hæredes, n. 3, ff. Ad Trebell.; Tapia, in authent. Ingressi, vers. Ipso ingressu, cap. 3, n. ult., Cod. de SS. Eccles.; Galgani., De condit. et demonstr., part. II, cap. 5, q. 11, n. 8; Card. Petra, tom. IV Commentar. ad constitut. 5 Benedicti XII, n. 50, et alii. Et ratio est, quia talis conditio, ut nihil ex vitalitio, seu legato acquiratur monasterio, est contraria sacris canonibus expresse statuentibus, quod quidquid acqui-

rit monachus, acquirat monasterio, can. *Statutum* 1, caus. 18, quæst. 1; can. *Abbatibus* 16, caus. 18, quæst. 2; can. *Quia ingredientibus* 7, caus. 19, quæst. 3, cap. *In præsentia* 8, De probat. cum similibus. Item est contraria dispositioni conc. Trident., sess. xxv, *De Regular.*, cap. 1, et decretis Clement. VIII *Pro reformat. regular.*, innovatis a sacra congregatione Concilii jussu Urbani VIII in decret. *De apostatis et ejectis*, adeoque est turpis, et de jure impossibilis, adeoque pœna caducitatis ipsi appositâ vitiatur, quemadmodum vitiatur ipsa conditio; sicque, tanquam appositâ actui a legibus interdicto, attendenda non est, etiam neglecto testatoris præcepto, l. *Unica* in fine; *Cod. de his quæ pœnæ nomine*, cap. *Tua* 17, De testamentis.

(25. Sic etiam sentire visa est sacra congr. Conc. in *Leodien. annuæ præstationis* 6 Junii 1682, in qua testator legaverat monasterio monialium pecuniam investiendam sub conditione, ut tres moniales ejus filia percipere possent earum vita durante tercentum florenos aureos pro suis necessitatibus, apponendo pœnam caducitatis in casu contraventionis: cum enim moniales cuperent acceptare legatum, ac vererentur ne permittendo particulare legatum factum tribus monialibus filiis testatoris, violaretur status vitæ communis, et ideo supplicassent, præfatis tribus monialibus permitti retentionem, et usum annuæ præstationis juxta mentem testatoris, aut alio modo consuli indemnitati monasterii. Sacra congr. Conc. respondit: « Monasterium posse acceptare legatum, et quoad legatum particulare servetur decretum san. memoriæ Clementis VIII. »

(26. Idem clare colligitur ex alia resolutione ejusdem sacre congregat. Concil. in *Mantuana administrationis*, in qua novitius professionem emissurus testamentum condidit favore tertii, sibi reservans annuam præstationem erogandam, et disponendam

VITIUM.

Vide verb. *VIRTUS* a n. 13 ad 95.

VITRICUS

(1. Vitricus quis sit? Vide verb. *AFFINITAS* sub n. 16. (2. Vitricus absque ulla dispensatione ducere potest in uxorem eam, quæ fuit uxor sui privigni. Sacra congreg. Concil. in *Bojanen.* 8 Junii 1720 et 8 Martii

1721, ut refert Ursaya in 2 *Miscellan. sacro et profan.*, litt. V, n. 89, et tom. IV, part. II, discep. 19, § 1, an. 186. V. *Addit. Casin.* V. *MATRIMONIUM*, art. 6, sub n. 28.

VIVÆ VOCIS ORACULA

Vide verb. *ORACULA VIVÆ VOCIS.*

UNCTIO EXTREMA

Vide verb. *EXTREMA UNCTIO.*

UNIO BENEFICIORUM SEU ECCLESiarUM.

Hæc porro adnotanda veniunt ad rem.

(1. Unio est beneficiorum seu Ecclesiarum ab episcopo seu alio superiore ob utilita-

in sui servitium absque eo quod jus in favorem alicujus acquiri posset: Cum autem ex dicta præstatione acquisivisset de consensu superiorum prædia, et census, ejusque superiores intenderent incorporare conventui annuam præstationem, et de administratis rationem exigere, supplicavit declarari: « I. An dicta præstatio annua reservata, seu fructus prædii ob morositatem hæredis loco pecuniarum subrogati spectent libere ad oratorem? II. An de redditibus perceptis ex bonis postea acquisitis teneatur rationem reddere? » Sacra congregat. die 28 Novembr. 1706, respondit: ad I, *Negative*; ad II, *Affirmative*.

(27. Consimiliter habetur ex resolutione sac. congregat. Episcop. et Regul. in *Neapolitana*, in qua indultum ab ipsa concessum, quod comperiebatur aliquantulum læsivum vitæ communis, fuit ab eadem sacra congregatione revocatum. Cum enim duæ moniales monasterii SS. Trinitatis Neapolis obtinuissent a sacra congregat. Episcop. et Regul. indultum, ut possent recipere annuam præstationem scutor. 200, a parentibus solvi promissam, ita tamen, ut superiorissæ, seu depositariæ traderetur eroganda ab ipsis monialibus pro earum indigentis, sive aliis usibus piis sibi bene visis; reclamantibus contra indultum reliquis monialibus, ubi læsivum vitæ communis, et constitutionum monasterii, ex eo quod annua præstatio eroganda esset per abbatissam in usus a præfatis duabus monialibus destinandos. Sacra congregat., die 7 Aprilis, 1707, rescripsit: « Servandas esse omnino constitutiones, non obstante indulto. » Sic expresse, supradictas tres resolutiones refert prout jacent, Eminentiss. Petra, l. cit., n. 34 et 31.

(28. Alia ad rem. Vide verb. *LEGATUM*; verb. *MONIALES*, art. 2; verb. *PROFESSIO*; verb. *REGULARES*, et verb. *VOTUM*, art. 3, n. 43.

(2. Unio prædicta fit potissimum tribus modis; Glossa, in cap. 1, verb. *Uniendo*, Ne Sede vacante; Gonzalez ad regul. 8 *Cancellaria*, gloss. 5, § 7, n. 26, 27 et sequent.; Fagnan., in cap. *Novit*, n. 2, *Ne sede vacante*; Barbos., *De offic. et potest. episcop.*, part. III, allegat. 66, n. 2; Rebuffus, in *Prax. benefic.*, tit. *De unionibus beneficior.*, n. 11 et sequent.; Reiffenstuel, lib. III *Decretal.*, tit. 12, n. 39, et alii passim.

(3. Primo modo fit talis unio, cum ex duobus beneficiis fit tantum unum, ita ut neutrum eorum uniat alteri, sed ambo simul uniantur, ut patet ex c. *Decimas*. § final., caus. 16, quæst. 1, ibi: « Papa duos episcopatus in unum redigere potest. » Et talis unio præsertim fit, cum duæ parochiales ecclesie vicinæ, et populo ratione belli, pestis et hujusmodi valde destitutæ, ita adinvicem uniantur, ut ex duabus fiat tantummodo unica. Et tunc illa unica ex duabus sic unitis resultans retinet consuetudines ac privilegia favorabilia utriusque ecclesie sic in unam redactæ. Unde hæc unio dicitur *extinctiva*, seu *translativa*, eo quod ex duabus ecclesiis fiat unica tantum, sicut altera minus privilegiata extinguitur, ac perimitur, et in aliam magis privilegiatam, ac potioribus juribus gaudentem transferatur, ac cum ipsa omnino incorporatur; Fagnan., in cap. *Exposuisti* 34, De præbend., et in cap. *Novit*, n. 3, *Ne sede vacante*; Reiffenstuel, lib. III *Decretal.*, tit. 12, n. 40, et 41, et alii, *arg. cit.*, cap. *Medicamentum*, De pœnitent., dist. 1.

(4. Secundo modo fit talis unio, cum duæ ecclesie ita uniantur, ut non coalescant, sicuti dicto primo modo in unum corpus, sed una sit superior, et alia inferior, ac accessoria superiori, seu principali, et solet fieri pro augmento dotis alterius beneficii non habentis sufficientes redditus pro congrua beneficiarii sustentatione. Unde talis unio nuncupatur *accessoria*, seu *subjectiva*, ut ex communi notant Fagnan., in cit. cap. *Novit*, n. 3, *Ne sede vacante*, et Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 42. Sicut ecclesia accessorie alteri unita assumit naturam, consuetudines et privilegia principalis, cui est annexa; argument. cap. *Recolentes* 3, § final. *De statu monachor.*, et cap. *Accessorium* 42, De regul. jur. in 6, ibi: « Accessorium naturam sequi congruit principalis. »

(5. Tertio modo fit talis unio, cum neutra ecclesia alteri subjicitur, sicuti dicto secundo modo, nec ipsæ coalescant in unum corpus, sicuti dicto primo modo, sed ambæ ecclesie ita æque principaliter, invicem uniantur, ut ambæ adhuc suum titulum atque honoris gradum retineant, et solum ab uno eodemque rectore regantur; sicut adhuc remaneant duo beneficia omnino distincta, verb. grat. duo distincti episcopatus, quamvis sit unicus, et idem utriusque epi-

(50) Tridentina synodus, sess. VII, cap. 5 *De reform.*, prudentissime cavet, ne quisquam plures metropolitanas, seu cathedrales ecclesias in titulum, sive commendam, aut alio quovis nomine contra sacrorum canonum instituta reciperet, aut retineret. Hoc tamen decreto non obstante, salva restat aucto-

scopatus; argument. cap. *Et temporis* 16, quæst. 1, juncta glossa ibidem verb. *Unire*; Fagnan., in cit. cap. *Novit*, n. 4, *Ne sede vacante*; Garcias, *De benefic.*, part. XII, cap. 2, n. 37; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 51, et alii. Et talis unio appellatur *Unio æque principaliter facta*, quæ aliud non operatur, nisi ut rector unius sit etiam rector alterius, cum in reliquis utrumque beneficium remaneat adhuc distinctum beneficium, sicuti prius, cum propriis redditibus, privilegiis, honoribus, etc., ut in pluribus episcopatus æque principaliter unitis, et signanter in Nepesino, et Sutriuo; Viterbiensi, et Tuscanensi; Hortano, et civitatis Castellanae, Cortonensi, et Montisflaconii, Laurentano, et Recinatensi, Sulmonensi, et Valvensi, Campaniensi et Patraniensi; Scalensi, et Ravellensi; Melphiensi, et Rapollensi, Adriensi, et Pinnensi, Tarracinesi, et civitatis Priverni; Cameriniensi, et civitatis Fabriani; Aquinatensi, et Pontis Corvi, et pluribus aliis brevitate gratia relictis.

(6. Unio beneficiorum est duplex, alia perpetua, et alia temporalis. *Perpetua* est illa, in qua exprimitur, ut perpetuo duret, ut cap. *Exposuisti* 32, De Præbend., ibi: *De capellis in perpetuum uniendis*; seu quæ fit ad perpetuam rei memoriam, cum hæc idem importet ac ly in *perpetuum*, seu quæ fit ad beneplacitum Sedis Apost.; quia, cum Sedes Apost. non moriatur, talis unio durabit in perpetuum, nisi revocetur, cap. *Si gratiose* 5, De rescriptis in 6. Unio *temporalis* e contra est illa, quæ fit ad tempus, v. g. ad vitam ejus cui conceditur et fit contemplatione personæ; proinde per illius mortem expirat, arg. cap. *Quoniam Abbas*, 14, de officio delegati, cum similibus. Et talis unio in effectu est quædam dispensatio retinendi plura simul beneficia etiam de se incompatibilia, ut patet in Germania, ubi a Sede Apostolica solet aliquibus episcopis concedi retentio plurium episcopatus, ut notat Fagnan. in cap. *Dudum*, n. 29, De election., ubi sic habet: « Sic videmus in Germania cum sublimibus personis non raro dispensari super retentione plurium episcopatus, etc., ut catholicam religionem, expulsis hæresibus, consilio, opibus et auctoritate sartam tectam tueantur. Ex hac ratione princeps elector Coloniensis ad præsens obtinet episcopatum Coloniæ, et episcopatum Leodiensem, Monasteriensem, Paderbornensem et Hildesimensem. » Et plures similes dispensationes refert Ursaya tom. V, part. I, disceptat. 6.

(7. Unde unire episcopatus ad solum pertinet Papam, textu expresso in cap. *Sicut unire* 8, De excessibus prælat., ibi: « Sicut unire episcopatus, atque potestati subjicere alienæ, ad Summum Pontificem pertinere dignoscitur (130). »

(8. Papa non solum episcopatus, sed etiam ritus Sedis Apostolicæ, quæ, ut bene notat Fagnan. in cap. *Quanto*, De translat. episcop., potest concedere duos episcopatus uni episcopo, prout de facto concedit etiam hodie ultra montes, ex regulis prudentialibus, ut inquit Card. de Luca in *Adnotat. ad concil.*